SBN
627768

4

QUÆSTIONES MORALES

EX TRACTATU

DE

LEGIBUS

DE QUIBUS DELIBERABITUR IN CONVENTIBUS

QUOS

AUSPICE VIRO EMO



D. PLACIDO ZURLA

TITULI S. CRUCIS IN JERUSALEM

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

ET SS. D. N. PP. PII VIII. IN URBE VICARIO

Romae ad S. Apollinaris habebunt Sacerdotes ex Coetu S. Pauli Apostoli diebus qui singulis quaestionibus inscripti sunt.

ROMÆ 1830.

EX TYPOGRAPHIA REV. CAM. APOSTOLICÆ
Permissu Praesidum.

Digitized by Google

Digitized by Google

QUÆSTIONES MORALES

EX

TRACTATU DE LEGIBUS

Die 15. *Novembris* 1830.

1 Duo illi Parochi, de quibus in postrema elapsi Anni Academici resolutione actum est, post Spiritualia Exercitia, quibus jussu Episcopi vacarunt, concitatum animum circa theologicas opiniones non deposuerunt: Factum itaque est, ut Paschali tempore Petrus Probabiliorista necessarias dispositiones pro satisfaciendo præcepto declarans, adduxerit Propositiones damnatas ab Alexandro VII., et Innocentio XI; quibus statuitur: Neque Confessionis, neque Communionis annuæ præcepto eos satisfacere, qui sacrilege vel confitentur, vel communicant; atque data hac occasione, generaliter deduxit: *errare eos qui putant, non posse Ecclesiam præcipere actus internos.* Cum id rescivisset Paulus acerrimus Antiprobabiliorista, in publica Casuum Moralium Resolutione in Cathedrali Ecclesia fieri solita, oblata opportunitate, testimonium protulit Divi Thomæ 1. 2. q. 10. a 4., ubi tradit S. Doctor. „ Ecclesiam non posse præcipere ea, de quibus judicare non potest „; atque ex

Decretalibus cum passim constet: „ Ecclesiam de occultis non posse judicare „ intulit: *eos omnes errare, qui docent, Ecclesiam actus internos posse præcipere.*

Maxima hinc exarsit controversia Petrum inter, et Paulum, nec non respectivos utriusque partis amicos; communique sententia scripserunt ad Episcopi Theologum, qui rem definiat, quærendo scilicet:

I. *An revera Ecclesia præcipere possit actus internos?*
II. *Quatenus Affirmative: quomodo explicetur illud Decretalium, et D. Thomæ?*
III. *Quatenus Negative: qualis sit sensus damnatarum Propositionum?*

Die 29. *Novemb.* 1830.

2 Solet Cajus rusticandi gratia infra annum non raro Albanum petere: Die Festo Divi Philippi Neri Albani morabatur, ubi non adest obligatio audiendi Sacrum, nec proinde Missæ interfuit. Ibidem rusticabatur in pervigilio S. Pancratii Martyris, in quo ex Decreto Episcopi Albanensis Cives tenentur jejunare: verumtamen Cajus nec Albanensis, nec ex Albanensi Diœcesi, cum se ab Episcopi Albanensis jurisdictione exemptum, ut pote non ejus subditum, agnosceret, arbitratus est,

se non obligari, adeoque non modo non jejunavit, sed imo carnes publice comedit, asserendo, et omnibus patefaciendo, se esse Romanum. Quæritur:

I. *Idea generalis obligationis Legis humanæ.*

II. *Leges particulares quos obligant, et qua ratione?*

III. *Quid sentiendum de Cajo, tum quoad Missam in dicto Festo non auditam, tum quoad jejunium non servatum, et esum carnium in memorato pervigilio?*

Die 20. *Decemb.* 1830.

3 Simeon Hebræus cum Sara patrui sui jam mortui Uxore Matrimonium iniit, quacum deinde divortium fecit, aliam Hebræam fœminam Uxorem ducens. Non multo post cum Simeon, baptismo suscepto, nomen suum inter Catholicos professus esset, eodemque tempore ejus exemplum duæ illæ fœminæ essent imitatæ, earum unaquæque postulavit, ut ipsa, altera rejecta, veluti legitima Simeonis Uxor haberetur. Quæritur:

I. *Num aliquam adhuc vim in Hæbræos habeant Leges de Matrimonii impedimentis, deque repudio a Moyse latæ?*

II. *Num Saræ, an vero alterius illius fœminæ votis obsequi Simeon debeat?*

Die 3. *Januarii* 1831

4 Antonius Vir nobilis Ecclesiasticus inter cæteros in sua familia Maurum quemdam hominem habet, Religione Turcam: hoc utitur etiam diebus festis pro operibus vere servilibus; hunc eximit a lege jejunii; uno verbo arbitratur, eum non teneri ad servandas Leges Ecclesiasticas. Habet quoque inter servos Franciscum vilioribus officiis addictum, qui licet ad maturam pervenerit ætatem, reputatur tamen jure fatuus, demens, ac mente captus: jam vero sæpe contingit, hunc a familiaribus excitari ad obscæna, pronuntianda verba, et quandoque blasphemias, sæpe inebriatur etc. Hæc omnia fiunt sciente, et subridente Antonio, qui putat amentem non teneri ad legem ullam servandam, nec in prædictis peccare. Parochus cum Antonio colloquium init, et quærit:

I. *Utrum Infideles teneantur Leges Ecclesiæ servare?*
II. *An amentes teneantur Leges Divinas observare, et quomodo?*
III. *In supra allatis casibus quot peccata, et a quibus patrata sunt?*

Die 17. Januarii 1831.

5 In quadam Diæcesi Episcopus ex peculiaribus locorum circumstantiis a Romano Pontifice petiit, et obtinuit facultatem solvendi toto quadragesimali tempore omnes suæ Diæcesis Christifideles a lege usum carnium vetante, dum tamen rigorosa ejusdem Legis observantia Edicto lato Romæ præscripta fuit. Hanc Romani Edicti severitatem ægre admodum tulit Philippus Civis Romanus. Itaque cum procuratio rei suæ familiaris ab eo postularet, ut in Oppidum se conferret, quod in finibus prædictæ Diœcesis continebatur, licet posset suum ex Urbe discessum commode post Pascha differre, omni cunctatione abjecta, initio Quadragesimæ continuo Oppidum illud petiit, ubi tamdiu mansit, quamdiu suis negotiis expediendis necessarium fuit, eoque omni tempore, quod universam fere Quadragesimam inclusit, carnibus ibi permissis usus est. Quæritur:

I. *Quid de iis statuendum, qui in fraudem ex patria absunt, ne patrias leges servent?*

II. *Num Philippus in iis circumstantiis in fraudem ab Urbe abfuisse sit judicandus?*

Die 31. *Januarii* 1831.

Recitatur Oratio de Laudibus D. Pauli Apostoli quem Cœtus Noster sibi Patronum adlegit.

Die 14. *Februarii* 1831.

6 Lex Romæ lata est, triticum, et omne frumenti genus vendi posse a Mercatoribus ad libitum, nullo determinato pretio; verumtamen nemini fas esse, illud extra Ditionem Pontificiam asportare sub pœnis amissionis totius frumenti, aliisque ad arbitrium. Vincentius Mercator ditissimus rem totam expendit, periculum scilicet, et lucrum, ac veluti sorti committit ingentem proprii frumenti copiam, quod vendere cupit multo majori pretio Massiliæ. Rem experitur, et feliciter ad exitum adducit magno lucro. Id quod unice conscientiam ejus stimulis afficit, est quædam pecuniæ summa, quam dedit turris maritimæ Custodi; sibi enim videtur, Custodis ipsius peccato operam contulisse. Quare Theologo casum exponens, quærit:

I. *An tuta conscientia triticum suum transferre potuerit, se subjiciendo pœnis latis?*

II. *An pro felici rei exitu aliunde* necessaria *pecuniæ collatio turris Custodi culpabilis fuerit?*

III. *Utrum ad aliquid teneatur?*

Die 28. *Februarii* 1831.

7 Franciscus Mercator quotannis ad varias nundinas, præsertim ad Senogalliensem proficiscitur, ut plura, et maxime utilia conficiat negotia. Multa linteaminum genera serica, vel linea emit, horologia, gemmas, aliaque hujusmodi sibi comparat, atque hæc omnia data occasione Romæ vendit. Ut autem facilius vendat, et aliquanto minori pretio, quærit quantum potest se eximere a vectigalium solutione, inita etiam in hunc effectum cum nonnullis exterarum Nationum Tabellariis societate, qui mirum in modum rem totam ad optatum finem perducunt: Utitur etiam pro iis mercibus in Urbem introducendis opera nonnullorum Nobilium Virorum, qui gaudent privilegio, seu concessione vulgo *del lasciapassare*. Merces quidem vendit amicis suis infimo pretio, ipsis manifestando, ideo pretium vile esse, quia vectigalia soluta non sunt; unde fit, ut revera id solum lucratus sit, quod alii Mercatores solutis vectigalibus et ipsi lucrantur. Post decem hujus consuetudinis annos graviter decumbit, et aliquantisper a stimulis agitatus a Theologo quærit:

I. *Quænam sit vis legis pure pœnalis, et mixtæ?*

II. *An peccaverit Franciscus vectigalia non solvendo?*

III. *An Tabellarii illi, et Nobiles Viri aliqua culpa rei dicendi sint?*

IV *Quid oneris incumbat Francisco pro se, et amicis suis? Qud Tabellariis illis, et Nobilibus Viris?*

Die 21. *Martii* 1831,

8 Benedictus Subdiaconus Beneficiatus ad asseverantiam testatur apud Confessarium, se pluries per annum in Divini Officii recitatione *positivam* intentionem habuisse non satisfaciendi duplici oneri, tum ratione Ordinis, tum ratione Beneficii; sæpissime quidem in Choro ob frequentes evagationes voluntarias, non raro etiam die festo, cum in unica, quam audiebat, Missa horas canonicas recitaret, intendendo scilicet obligationi quidem Missæ satisfacere, non vero Officii, atque id semper fecisse cum animo Officium iterum recitandi, quod tamen ob negligentiam numquam fecit. Quærit itaque apud se Confessarius:

I. *An intentio satisfaciendi sit necessaria pro satisfactione oneris a lege impositi?*

II. *An duplici oneri unico actu, eodemque tempore possit satisfieri?*

III. *Quid sentiendum de Benedicto? et præsertim an ad aliquid teneatur?*

Die 11. Aprilis 1831.

9 Andreas misero, diuturnoque morbo tabescens pollicitus est Jacobo famulo, cujus erga se studium, et in afferendis, quæ posset, morbo levamentis diligentiam expertus erat, centum aureos in Codicillo prope diem conficiendo legati nomine ei se re-

licturum ; idque ipsum Hæredibus significavit. Improvisa morbi vi oppressus, instante famulo coram Hæredibus, ut statim Codicillum conficiat, jussit ad hoc Notarium advocari ; at ante ejus adventum sensibus destituitur, atque non confecto Codicillo moritur. Hæredes Jacobo centum aureos tradere recusarunt, ex eo quod de legato hujusmodi neque Testamento, neque Codicillo constaret, adeoque nulla ejus ex legibus ratio habenda esset. Quæritur:

I. *Quæ legum humanarum, de Testamentis præsertim, et ultimis voluntatibus potestas sit?*

II. *Quid judicandum de Andreæ Hæredum facto, deque causa ab iis allata, cur eam pecuniam Jacobo non traderent?*

Die 25. Aprilis 1831.

10 Duabus ex causis angitur Scipio Negotiator Romanus ditissimus : primum quod cum ea Pontificiæ Ditionis Subditi monetæ difficultate premerentur, quæ postea sapientissime explicata fuit, sæpe sciens, novas de quorumdam nummorum pretio imminuendo leges jam comparatas esse, quæ propediem essent promulgandæ, ipse ingenti eorum vi juxta pretium, quod adhuc obtinebant, creditoribus tradita, æs alienum dissolverit, quod habebat ; dein-

de quod antequam lex ferretur, qua privilegiis abolitis, et vinculis sublatis, commercium in libertatem est vindicatum, suis in tabernis pluris merces vendiderit, quam legibus esset decretum, quæ a Magistratibus promulgari solebant, quod illæ a nemine servarentur, quamvis nonnumquam, sed perraro, in eos, qui violavissent, iidem Magistratus animadverterent. Quæritur:

I. *Quæ de Legum humanarum promulgatione, et acceptatione constituenda sint?*
II. *Num aliquid restituere Scipio debeat?*

Die 9· *Maji* 1831.

11 Thomas Clericus pingue habet Beneficium Simplex, vi cujus tenetur Divinum Officium recitare. Arbitratur, id sibi gravis oneris esse, ac proinde rogat Amicum suum Petrum, ut dispensationem obtineat, atque offert etiam munus non mediocre, si id impetret. Petrus ut Amico inserviat, donum accipiat, et simul conscientiæ consulat, supplicationem scribit nomine Thomæ, at nihil vel obreptivum, vel subreptivum exponit, et validissimis modis, etiam erogata pecunia, sed per modum recognitionis, aliquibus familiaribus, dispensationem obtinet, eamque Thomæ remittit, qui fidem implet, centum scutata Petro donat; pro Divino Officio Litanias Virginis, prout fert dispensatio, quotidie re-

citat, atque per annum integrum ita se gerit, ut nullis hac de re scrupulis agitetur. Rem postea narrat Amico Sacerdoti, qui quærit:

I. *An valida sit dispensatio impetrata sine causa?*

II. *An simoniaca labe dispensatio ipsa vitiata fuerit, tum ex parte Petri, tum ex parte Thomæ?*

III. *An Simoniacorum pœnas incurrerit Thomas, et ad quid teneatur?*

Die 30. *Maji* 1831.

12 Aloysius longum iter mari paulo ante Pascha suscepturus jure metuit, ne per integrum annum Sacerdotis copia carere debeat, cui peccata possit confiteri. Nihilominus itineri se committit, quin antea confiteatur, licet et gravis peccati conscius sibi sit, et in postrema Confessione ei satisfactionis nomine præceptum a Sacerdote fuerit, ut bis intra unius anni spatium confiteretur. In postrema labentis anni die incidit forte in Sacerdotem, eaque usus opportunitate, bis eadem die ei confitetur, atque ita putat, se tum Ecclesiasticum de annua Confessione præceptum, tum impositam satisfactionem implevisse. Quæritur;

I. *Num qui animo prospiciunt, se deinceps leges aliquas implere non posse, vel qui de ea re valde dubitant, antevertere teneantur, et antea id facere, quod iis legibus præcipitur?*

II. *Quando liceat uno actu plures leges implere?*

III. *Quid de universa agendi ratione judicandum sit, quam Aloysius secutus est?*

Die 13. Junii 1831.

13 Anselmus, qui ex voto tenetur singulis Sabbatis jejunare, ac Officium B. M. V. recitare, ab utraque obligatione aliquando se liberum existimavit: A prima quidem, cum voti immemor, imprudenter bis, mane nempe, et ad prandium satis laute comederat, quod judicaverit, se impotentem eo die evasisse ad voti substantiam implendam, de semel scilicet comedendo, et propterea cænare etiam posse: Ab altera vero, cum in obeundo munere suo, usque ad mediam noctem ita fuit occupatus, ut vix aliquem recitare psalmum potuisset, etiamsi nihil plane temporis otiose transegerit. Quæritur:

I. *An, et quantum qui legem aliquam servare non possunt, ab ea implenda excusati putandi sint?*

II. *An aliquid in supradictis Anselmus peccaverit?*

Digitized by Google

Die 27. *Junii* 1831.

14 Venantius Faber Ferrarius valde locuples multos in sua officina habet juvenes, vulgo *Lavoranti*, *e Garzoni*; ipse vero non semper, sed quandoque cum iis juvenibus in officina adlaborat: Ast iis diebus, quibus jejunium ab Ecclesia jubetur, vel artificium suum, illud quidem laboriosum, exercet, vel venandi causa longum agit iter. Itaque cum utraque illa occupatione vehementer fatigetur, numquam jejunat. Quæritur:

I. *Num, et quando qui legibus tenentur, debeant aut non afferre, aut tollere impedimenta, quibus leges ipsas implere vetantur?*
II. *Num Venantius in prædictis peccaverit?*

Die 11. *Julii* 1831.

15 Laurentius juvenis valde doctus; et omnium litterarum cupidissimus petiit sæpe ab iis, qui perniciosorum librorum lectioni vetandæ, vel permittendæ præsunt, ut sibi facultas fieret Incredulorum libros legendi, asserens, sibi nihil ex ea lectione esse metuendum. Cum vero ab iis perpetuo fuerit rejectus, præclare intelligens, quanta esset sua in Philosophicis, ac Theologicis disciplinis peritia,

æque ac sua in Religione tuenda constantia, existimavit, in se non cadere legem de iis libris non legendis, cum ea lex solummodo ad depellendum periculum incurrendi in errores Religioni adversos, quod eos libros legentibus plerumque imminere solet, lata sibi videretur. Eos igitur libros bona fide legit, et revera nullum passus est detrimentum; quin imo Incredulorum cavillationes, ac sophismata agnoscens, in Religione confirmatus est, et Dissertationes doctissimas edidit ad Incredulorum ipsorum errores confutandos. Hinc quæritur:

I *Num si peculiaribus quibusdam in casibus adæquata legis causa desinat, etiam lex ipsa tunc ab obligando cessare dicenda sit?*

II. *Num Laurentius in iis adjunctis lege Ecclesiastica de Incredulorum libris non legendis teneretur?*

III. *Num censuras Ecclesiae contra legentes libros vetitæ lectionis incurrerit?*

Die 1. *Augusti* 1831.

16 Stephanus Diaconus autumnali tempore rusticandi gratia Oppidulum petiit, ubi a Parocho rogatur, ut sequenti die magnæ venatorum catervæ se adjungat ad feras capiendas, apros scilicet, ursos quoque, lupos etc. Se excusat Stephanus dicendo, id sibi non licere per Sacros Canones, qui absolute

Clericis vetant clamorosam venationem, et mirum sibi videri, quod a Parocho ad rem hujusmodi faciendam invitetur. Subridet Parochus, et fatetur, se scire a Jure Communi id vetitum esse Clericis; sed subjunxit, per veterem, et immemorabilem *Consuetudinem* id licere Oppiduli Ecclesiasticis, nam id semper effecerunt; imo quantùm reclamaverint Episcopi loci successive per Edicta, Censuras, et Decreta, intentatum finem numquam obtinuerunt Clerici enim semper ad hujusmodi venationem profecti sunt. Quare hodiernus Episcopus licet initio Sacræ Visitationis Censuras minatus fuerit, numquam tamen eas revera tulit, et modo sciens, omnes Oppiduli Ecclesiasticos in ea venatione perseverare, jam a decem annis omnino tacet. His Parochi dictis convincitur Stephanus, et ad venationem cum aliis Clericis, et Sacerdotibus magnæ Laicorum catervæ adjunctus proficiscitur. Die Festo sequenti Altari ministrat, solitasque exercet sui Ordinis functiones. Rem vero totam per epistolam Romano Theologo exponit, et quærit:

I. *Qualis sit indoles, et quæ conditiones legitimæ Consuetudinis?*

II. *Quid dicendum in praxi de Consuetudine illius Oppiduli relate ad Ecclesiasticos loci?*

III. *An ipse potuerit tuta conscientia illi Consuetudini conformari? et an pœnas aliquas incurrerit?*

Digitized by Google

Die 22. *Augusti* 1831.

17 Augustinus Romanus Prælatus insigni Congregationi addictus, puta Sacræ Consultæ, Canonicatum obtinet in Patriarchali Basilica, et simul Pontificium Indultum, vulgo *Brevetto*, quo eximitur a personali adsistentia in Choro *iis diebus et horis*, quibus legitime pro injuncti oneris functionibus impeditur. Rigorose ad litteram id accipit Augustinus vir delicatæ conscientiæ, et præcise exceptis iis diebus, et horis, quibus ut supra impeditur, horis Canonicis semper intervenit. Redarguitur statim a Collegis, qui simili potiuntur Indulto, et communi usu probant, exemptionem intelligi pro tota die, si Congregatio fuerit mane tantum: imo et pro die antecedenti, saltem vespere, quia supponitur, materiæ discussionem privato studio a quolibet fieri debere. Anxius Augustinus quemdam Theologum ex Capitulo interrogat, qui respondet, ut se aliis Collegis conformet, nec singularem se ostendat, consuetudo enim optima est legum interpres: Hac vero responsione minime contentus Augustinus alium adit Theologum ex eodem Capitulo, qui contra docet, prætensam consuetudinem corruptelam esse, non ita se gessisse veteres timoratæ conscientiæ Canonicos, et ei non licere, in interpretatione Indulti a concessionis verbis nec minimum recedere. Ut tandem se determinet, tertium peritissimum Theologum accersit, a quo quærit:

I. *Utrum privilegia, et dispensationes possint per quemdam usum ampliari præter verborum naturalem significationem?*

II. *Quid in praxi statuendum circa talia Indulta concessa pro diebus, et horis?*

III. *Utrum in casu contraventionis, seu benignioris interpretationis, detur locus restitutioni fructuum perceptorum?*

Die 5. *Septembris* 1831.)

18 Remigius Sacerdos, cui a Parocho concessum fuerat, ut Josephum et Agnetem in Matrimonium conjungeret, ex eorum sermonibus deprehendit, inter eos Criminis impedimentum interesse: Itaque initio recusavit, eos Matrimonio conjungere. At cum illi, quibus erat plane inauditum hoc impedimenti genus, se ad ejus pedes abjecissent, et Episcopus, multoque magis Summus Pontifex longius abessent, nec Matrimonium differri posset, quin gravem illi infamiam magno cum scandalo conjunctam incurrerent, præsertim cum Agnes jam se gravidam Remigio revelaverit, judicavit ipse, se in eo casu jure existimare posse, sibi a Pontifice Maximo eo tempore concedi, ut eos ab impedimenti lege solveret, et in Matrimonium conjungeret; idque revera perfecit, eorum Sacramentalem Confessionem excepit, eos absolvit, ac Matrimonio copulavit. Quæritur:

I. *Num qui alterius imperio, ac jurisdictioni subjecti sunt, possint ejus legibus, aliquando saltem, et in peculiaribus quibusdam casibus, solvi ab iis, qui eo dignitate, et potestate sunt inferiores?*

II. *Num quæ gessit Remigius, probari possint?*

III. *Quatenus Negative: quid ei præscribendum?*

NIHIL OBSTAT

Pius Bighi Censor Theol.

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni S. P. A. Mag. Soc.

IMPRIMATUR

Jo: Della Porta Patr. Costantinop. Vicesg.

627768

Digitized by Google